

realem communicationis effendi in aliud, sed abstrahit ab hoc; causa verò semper in aliud influit, quia causa semper aliud ab effectu esse debet; vnde in diuinis non datur causatio, vt optimè docet S. Thomas pr. parte q. 33. art. 2. quia principium rigorosè sumptum & si faciat aliud, aliud nequaquam facere potest.

2 Verum est, quod latè sumendo principium, potest dici principium omne quod est primum. notandum tamen est, quod id, quod est primum in vno genere, potest habere principium in alio genere; sic quamvis Adam hominum omnium fuerit principium, ac primus parens, principium tamen sui habuit Deum; immò in eodem genere, quod est aliquibus posterius, est prius alijs, siuè illorum principium; exemplificatur totum hoc in Abraham, & alijs, qui licet respectu multorum hominum essent principium, alios tamen homines principium sui habuerunt.

3 Diuiditur autem principium in illud quod est primum, videlicet vnde res fit, vel vnde cōseruatur, aut cognoscitur; vnde patet, omne principium esse primum vnde res fit, aut est, vel cognoscitur, vt dictum est; quapropter principium in esse rei est primum vnde res est, id est pars illa quæ primo generatur, aut initium dat; quo seorsu, aurora initium, siuè principium dici dicitur, primus palmarum vlnæ, vncia libræ, & punctus lineæ, & in naui carina, quæ est nauis fundamentum, super quod ligna omnia nauis compaginantur; & hoc principium a D. Thoma bene appellatur principium intrinsecum, cum maneat in re generata; principium rei in fieri est id primum vnde res fit, siuè vnde incipit rei generatio; v.g. in materialibus illud principium generationis dicitur, vnde primum nati est motus incipere in his, quæ fiunt per motum sicut in his, quæ fiunt per alterationem, vel per aliquem alium motum huiusmodi, sicut in ijs, quæ non per motum fiunt sed per aliquid alterum, vt patet in factione substantiarum, sicut puer fit ex patre, & matre, qui sunt eius principia, & hoc vocat D. Thomas principium extrinsecum; principium autem in cognitione rei est illud, vnde res primò innotescit, sicut dicimus principia demonstrationis esse præmissas; principium namque generaliter sumptum, omnia principia, tam metaphysica quam physica, tam extrinseca, quam intrinseca, tam in fieri, quam in facto esse, comprehendit, & metaphysica quidem principia communia sunt omni generi entis, sicut actus & potentia,

prin-